

Georg Radow

**Rector Academiae Rostochiensis Georgius Radovius, D. Antecessor, Facult.  
Iurid. & Colleg. Senat. Senior, Ad Iusta funebria, Quae Perluctuoso funeri ...  
Margaretae Elisabetae Sillers/ Dolenter soluturus est hodie Moestissimus Viduus,  
Cives Academicos ... convocat : [P.P. Sub Sigillo Rectoratus, d. XXIII. Aprilis  
A.I.R. MDCLXXXVI.]**

Rostochi[i]: Weplingius, [1686]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774759976>

Druck Freier  Zugang




Radov, G.,  
in  
M. E. S i l l e r,  
uxor. N. Schröder.  
Rostock. 1686.

6.







RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
GEORGIUS RA  
DOVIUS,

D. Antecessor, Facult. Jurid. & Colleg.  
Senat. Senior,



Ad  
Justa funebria,

Qua

Perluctuoso funeri

*Feminarum Ornatissima & Præstantissima*

MARGARETÆ  
ELISABETÆ Sillers /

Dolenter soluturus est hodie

MOESTISSIMUS VIDUUS,

CIVES ACADEMICOS omnium ordinum hono  
ratissimos comiter convocat.



Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII Acad. Typogr.



**O**ncinna non minùs quàm  
vero consonantia sunt ista religio-  
sissimi Mediolanensium Episcopi:  
*lib. de bono mortis c. 8. Si laudari  
ante gubernator non potest, quàm  
in portum navem deduxerit: quo-  
modo laudabis hominem, prius quàm  
in stationem mortis secesserit? Et ipse sui est governa-  
tor, & ipse vitæ huius jaçtatur profundo. Quam-  
diu in salo isto, tamdiu inter naufragia. Enim-  
verò eum, quem in has seculi procellas & fluctuan-  
tis sentinam mundi uterus maternus effudit, formi-  
dolosæ variantis sortis tempestatu exponi, & motus  
agitationesq; curarum persentiscere, neminem te-  
merè inficias iturum esse censuerimus. Jubent  
omnino circumfulæ undique molestiæ mortales in  
mœrore circumducere dies, nec nisi mali taber-  
nam, curarum mare, palæstram luctus, officinam  
cladium, fomitem dolorum, æstuantem homi-  
num vitam esse deprehendit, quisquis è verò eam  
æstimat. Imitatur hæc ipsa mare vesaniens: Flu-  
ctus in eâ assidui, sæpius turbidæ procellosæque  
tempestates, & iterum malacia aliqua atque tran-  
quilli,*

quillitas distingvit. Læti, tristes, sani, ægri ad portum tendimus, non raro mærore obfuscatur animus, læpè damnis, ærumnis, & calamitatibus inhorrescit. Felices, qui ut periti & duriores nauæ assueverunt, nec ad singulas concussiones nauteant & ægrotant. Neq; verò nobis multum terris & alto jactatis alia magis subvenire possunt, quàm patientiæ solatia. Dum enim inclusi sumus in his compagibus corporis, munere quodam necessitatis & gravi opere perfungimur. Qui primus cœlum inter & aquam quasi pendulus assiduis, & magnis infestabatur cataclysmi imbribus Nōes, infracto tamen animo in arcâ persistebat, donec in novam terram novus educeretur colonus, exemplum tolerantia nobis suppeditet, ut mersi quidem, non tamen submersi, irruentium adversitatũ turbinibus, gratam è naviculâ vitæ liberationem expectemus, usque dum supremo Navarcho ita visum fuerit. Antiquissima omnibus, qui naviculariam fecerunt, & marinis periculis atqve laboribus jactari sunt, cura fuit, longâ è navigatione aliquando in portum venire: Paratum nobis portum & perfugiũ mortem putemus, ubi ærumnosissima vitæ navigatio conquiescat. Si, qui navi vehuntur, licet jaceant, sedeant, dormiant, vigilent, semper tamen iter conficiunt & spatia aliquot transmittunt: Nos pariter, laboremus, quiescamus, vigilemus, dormiamus,



miamus, magis atqve magis ad hunc mortis portum appropinquamus. Conficit optimè cursum navis, quæ scientissimo gubernatore utitur, dirigente eam, ne ad scopulos appulsa dissolvatur dissipetur, sed salva in portu collocetur. *Naves, quoque, corpora sunt nostra, eleganter monente Ambrosio enarrat. in Ps. 47. vago diversarum passionum fluctu mota, citò mergenda, nisi habeant gubernatorem.* Bene autem navigant, qui in navibus Christi crucem, sicut arborem, præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, ut corpora sua dirigant ad Spiritus S. gratiam, in ligno Domini tuti atque securi: Nec permittant naves suas vago fluctu errare per maria, sed ad portum salutis & ad consummationem gratiæ cursus sui directione contendant, ut fidâ statione potiantur, quo dissoluta cursus suos possint in resurrectione reparare, ubi naufragium timere non possint. Solonem, qui & unus fuit è septem Græciæ sapientibus, & solus inter eos legum conditor, dicere solitum fuisse accepimus: Neminem esse numero beatorum ascribendum, priusquam ad fatalem metam pervenerit, & ultimum vitæ actum expleverit. Optimè constat totius vitæ ratio iis, qui lubenter & beatè mori didicerunt. Dirigit navem rector in fine sedens: Fluctuantis etiam vitæ carina abs nobis de fine sollicitis regenda est, ut prævideamus exitum, præveamus exitum, ne post vitæ hujus fluctus æternus nos obruat luctus, & dum non rectè respeximus scopum, ad detestabilem perniciem scopulum allidamur. Navigare poterit, ô mortalis! myoparo vitæ tuæ ad æternitatem, & quidem prosperè plenius velis, dummodo ipse velis. Fides sit ancora, spes velum, crux sit erecta in malum, ne impingas in malum. Sic quippe instructa, Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

In tranqvillū & tutum mortis portum ex alto turbulentæ mor-  
taliū vitæ placidissimè in vecta est, quæ huic scriptioni ansam  
subministrat, matronali decore ornatissima femina, de omni-  
bus gravissimarum ægritudinum tempestatibus nunc securis-  
simè triumphans, cujus vitæ quantum fuit brevi percurratio-  
ne recognoscere juvat. Illuxerat decimus tertius mensis Ju-  
lii dies anno recuperatæ per sospitatore[m] gratiæ MDC XXVI.  
cum in horridam insvavemq[ue] vitam ingrederetur Eximia &  
spectatæ virtutis Matrona MARGARETA ELISABETA  
**Sillers** / parentibus progenita præstantissimis; Patre qui-  
dem, Viro Spectatissimo & Doctissimo DNO. MARTINO  
**Siller** / Cive hic quondam præcipuo & Negotiatore insigni;  
Matre verò, pientissimâ probatissimaq[ue] feminâ MARGA-  
RETA **Arnimbs** / Viri egregii florentisq[ue] **ELLÆ Ar-**  
**nimbs** / filiâ charissimâ. Avum agnovit paternum, Vi-  
rum prænobilem & strenuum DN. MARTINUM **Siller** /  
potentissimi Electoris Brandenburgici in arce Memelâ dispen-  
satorum Amplissimum: Aviamq[ue] paternam Feminarum  
præstantissimam **ESTHERAM Sonderfeldts** / Viri  
Prudentissimi & Spectatissimi DN. NICOLAI **Sonder-**  
**feldts** / Senatoris Memelensis filiam. Avia materna ipsi  
exitit primaria laudabilisq[ue] femina **AGNETA Bolten-**  
**Mytiscis** lustrata undis, ut æternæ particeps redderetur bea-  
titudinis, haut multò post, lectissima adhuc adolescentula  
utroq[ue] parente miserabiliter orbata fuit: Etenim quæ An-  
no millesimo sexcentesimo, trigesimo primo, die undecimo  
Decembris materno graviter indoluerat funeri, sexennio  
post, paternum excessum lamentabili voce deploravit, sic  
satis tunc edocta tumultuosas variantis fortunæ vices, qui-  
bus orphanorum orbitas infestatur undiq[ue] & laceffitur.  
Commorata à morte parentum per annum Gustrovii in con-  
tubernio materteræ gravissimæ, feminæ prudentissimæ **ELL-**  
**SABE-**

X3

SABE-

SABETÆ **Arnimbs** / Viri præximii DN. **HERMANNI Willckens** / Secretarii dexterrimi Conjugis fidissimæ, ad alteram elapso anno materteram Gryphis sylvæ degentem laudatissimam ornatissimamque feminam **SOPHIAM Arnimbs** / Viro integerrimo DN. **PETRO Tucksen** nuptam se contulit, per septennium ferè hospitio isthoc fruita, plurimasque interea alternæ sortis variationes luculentissimè experta. Redux deinde Rostochium, anno videlicet millesimo sexcentesimo quinquagesimo in consortium maritale expetita fuit à spectatissimo prudentissimoque Viro DN. **NICOLAO Schrödern** / senatore urbico insigni, Viduo nunc ærumnosissimo. Cujus datam solennissimè ad aram fidem quo amore quæve svavissimâ prothymiâ demereri sategerit per decursum triginta septem annorum, omnium optimè testabitur ternarius filiorum numerus, quos sociale hoc fœdus amantissimorum conjugum publicæ luci exposuit, **JACOBUM** nempe, **MARTINUM**, & **NICOLAUM**. Equidem natu medius vix expleto semestri vitæ spatio maturè mortalium cætui subductus feliciter in cælis ævum degit; Reliqui verò duo, utpote Vir prænobilis & strenuus DN. **JACOBUS Schröder** / Serenissimi Ducis Meckleburgici Sverinensis subcenturio, & prædii Blanckenhagensis præfectus, (qui ipse ductâ in matrimonium Nobilissimâ & Florentissimâ Virgine **URSULA MARIA**, Viri Nobilissimi & Amplissimi DN. **GERHARDI LUDOVICI BECKERI**, Serenissimo Duci Mecklenburgico Sverinensi ab intimis secretis, filiâ, tenerrimam progignens prolem **NICOLAUM LUDOVICUM**, blando aviæ gaudio lætabundam matrem complevit), nec non nauticæ negotiationis apprimè gnarus **NICOLAUS Schröder** / adhuc superstites, lugubri lamentatione maternum funus prosequuntur, quibus, uti & afflictissimo Viduo benigna providi Numinis gratia valentissimo levamento

mento sit! Quàm sanctè ceteroquin, exanimata femina,  
fundamento virtutum omnium pietati studuerit, divina ora-  
cula & mysteria religiosissimè venerata fuerit, conjugem &  
utramque subolem fideli amore semper amplexa, familiaris  
curæ solertissimam rationem habuerit, egenis stipe quadam  
subvenerit, tolerantia allevârit sollicitudines, reliquisque fe-  
mineis virtutibus inclarescere allaboraverit, nôrunt, & cum  
dolore in memoriam sibi revocant, quibuscum familiarissi-  
mè vixit. Ad invalentiam ejus quod attinet, die decimo  
tertio adulti hujusce mensis noctu de vehementissimâ agri-  
tudine conquesta, medicam imploravit opem Viri Nobilis-  
simi & Amplissimi DN. PAULI JOACHIMI STOCMAN-  
NI, Med. D. Excellentissimi, & Practici experientissimi, qui  
etiam omnia morbum debellatura medicamina solertissimè  
præscribens, id sollicitissimè egit, ut ægram à paroxysmis mor-  
bidis, qui eam acerrimè laceffebant, liberaret & subleva-  
ret; Ceterum cum pertinacius iudies ingravefceret  
malum, speque exiguâ & extremâ pendere salus moribun-  
dæ videretur, die 17. labentis mensis, accersitus est cœlestis  
venæ nuntius, Vir plurimum Reverendus & Clarissimus  
DN. BERNHARDTUS MULLERUS, Diaconus Aedis D.  
Mariæ meritissimus, qui sanctissimi desiderii compotem fe-  
cit, ferio peccata confitentem & cœlesti Eucharistia efficacius re-  
focillari expetentem feminam, ut commodius è tempestu-  
oso vitæ pelago emigraret. Neque verò diu post percceptas  
epuli Dominici delicias ærumnoso hoc hospitio detenta fuit;  
Duodecimâ enim intempestæ noctis horâ placidè obdormivit  
in Christo, cum eoque aternæ beatitudinis gustu suavissimo  
perfrui cepit, duodecim ferme lustris in orbe hospes. Con-  
fecit illa cursum, neque turbulentissimâ amplius agritudi-  
num & molestiarum tempestate angitur, quâ nos miseri ad-  
huc jactamur. Penetravit in portum aternâ quiete placidum

dum, & p̄fuglum beatitudinis obtinuit, nullo ultra formi-  
dolosa mortalitatis fluctu luctuque infestanda. Vos verò,  
AFFLICTISSIMI, quos anxie lancinat & compungit ingens  
amissa Conjugis, matris, sororis, agnataque dolor, memi-  
neritis, non amissam sed p̄missam, recedentem p̄cessisse,  
ut proficiscentes, ut navigantes solent, desiderari eam, non  
desleri, ultra quam fas est, debere. Ferenda sunt pectore  
pio & mansueto quæcunqve divinitus immittuntur dispen-  
dia. Modum itaque lamentis & tristitiæ statuite, spe cer-  
tâ freti, obducturum esse propitium Numen amplissimo,  
quod in vestris impendiò exulceratis hiat animis, vulneri  
optimam cicatricem, offusamque mentibus vestris mœro-  
rum caliginem sereniori lætitiæ redivivæ jubare à solo infi-  
nitæ gratiæ sole dispulsum iri.


Quando autem suprema defunctæ, Femina-  
rum p̄stantissimæ, in conditorium hodiè depor-  
tanda sunt suum, ut frequentiore numero exequi-  
as veniatis, maximopere à Vobis, CIVES  
ACADEMICI Omnium Ordinum hono-  
ratissimi, contendimus.

P. P. Sub Sigillo RECTORATUS,  
d. XXIII, Aprilis A. J. R.  
MDC LXXXVI,

*Conventus instituetur in Æde MARIANÆ  
horâ 1. pom.*













In tranquillū & tutum mortis portum ex alto tu-  
talium vitæ placidissimè invec̃ta est, quæ huic se-  
subministrat, matronali decore ornatissima fem-  
bus gravissimarum ægri tudinum tempestatibus  
simè triumphans, cujus vitæ quantum fuit brev-  
ne recognoscere juvat. Illuxerat decimus tert-  
lii dies anno recuperatæ per sospitatorem gratia  
cum in horridam insævemq; vitam ingredi-  
spectatæ virtutis Matrona MARGARETA  
Sillers / parentibus progenita præstantissim-  
dem, Viro Spectatissimo & Doctissimo DNO  
Siller / Cive hic quondam præcipuo & Nego-  
Matre verò, pientissimâ probatissimaqve fem-  
RETA Arnimbs / Viri egregii florentisq;  
nimbs / filiâ charissimâ. Avum agnovit p-  
rum prænobilem & strenuum DN. MARTIN  
potentissimi Electoris Brandenburgici in arce M-  
latorem Amplissimum: Aviamqve pater-  
rum præstantissimam ESTHERAM Sonder-  
Prudentissimi & Spectatissimi DN. NICOLA  
feldts / Senatoris Memelensis filiam. Av-  
exitit primaria laudabilisqve femina AGNE  
Myfticis lustrata undis, ut æternæ particeps re-  
titudinis, haut multò post, lectissima adhuc  
utroqve parente miserabiliter orbata fuit: Et  
no millesimo sexcentesimo, trigesimo primo,  
Decembris materno graviter indoluerat fun-  
post, paternum excessum lamentabili voce d-  
satis tunc edocta tumultuosas variantis fortun-  
bus orphanorum orbitas infestatur undiqve  
Commorata à morte parentum per annum Gu-  
tubernio materteræ gravissimæ, feminae prud-

X3

